

His sic lectis, reuerendissimus pater & dominus Bartholomæus archiepiscopus D  
Mediolanensis ascendens in ambonem, legit in hæc uerba.

¶ **Schedula acceptationis conuocationis.**

Nos miseratione diuina episcopi presbyteri & diaconi cardinales, patriarchæ, archiepiscopi, episcopi, prælati & cæteri hic congregati, dictam conuocationem acceptamus, & offerimus nos paratos sine dilatione quacunque ad procedendum ad ulteriora. Et insuper requirimus uos oratores & procuratores prædictos, quatenus ad unionem faciendam nobiscum procedatis iuxta tenorem tertij capituli conuocationis prædictæ, quæ talis est: Tertio, quod præfatus de obedientia dicti domini Benedicti decimitertij per quosdam, &c. ut superius continetur, cuius tamen totum tenorem legebant. Et ex post frater Ludouicus de Valle Oleti præfatus, quo ad secundum principale, quandam unionis schedulam legebat in hæc uerba.

Constantien.  
cõcilij scilicet, 20.

¶ **Schedula unionis.**

Nos oratores & procuratores præfati dictis nominibus unimus nos uobis iuxta tenorem capituli Narbonensis prædicti, approbates & laudantes omnia quæ post unionem Aragonensium contra dominum Benedictum agitata sunt & processa pridem, & eodem modo ac si per hanc unionem nostram ab hac sancta synodo nobis interuentibus facta forent. Qua unione facta, præfatus dominus archiepiscopus Mediolanensis legebat in hunc modum.

¶ **Schedula acceptationis unionis.**

Nos prælati & cæteri congregati ut supra, dictam unionem nostram acceptamus, profitentes uos uice & nomine præfati serenissimi domini regis Castellæ per omnia debitis modo & forma ac tempore contentis in dicto capitulo tertio, satisfecisse, & conuerso nos uobis oratoribus & procuratoribus prædictis nominibus iuxta tenorem eiusdem capituli unimus. Quibus sic factis, reuerendissimus pater dominus Ioannes episcopus Ostiensis cardinalis & uice cancellarius nomine totius synodi respondit, per uerbum, placet.

Subsequenter oratores & procuratores illustrissimi domini Infantis Henrici ac ordinis sacre militiæ sancti Iacobi de Spata generalis magistri, ambonem ascendentes, omniaque & singula facta & acta per dominos ambafiores & oratores regis Castellæ prædictos approbantes & laudantes, conuocationem fecerunt simili modo ut ipsi uos regis Castellæ ambafiores, & similiter se huic congregationi unierunt, prout super istis conuocatione & unione frater Ioannes de sancto Iacobo, ordinis Minorum, unus de ambafiatoribus prædictis, de suorum coambafiatorum consensu quandam papyri schedulam publice legebat sub huiusmodi tenore.

¶ **Schedula conuocationis Infantis Henrici.**

Nos Vitalis de Scoto miles commendator de Camata, frater Ioannes de sancto Iacobo sacre pagine professor, Garfias de Vergata miles, Ioannes Alphonfi decreto-  
al, Carnara  
rum baccalaurei, procuratores & oratores illustrissimi domini Infantis Henrici ac ordinis sacre militiæ sancti Iacobi de Spata generalis magistri, simili modo conuocamus uos omnes præfatos & cæteros dominos de hac congregatione iuxta tenorem dicti capituli. Deinde idem frater Ioannes legit, ut sequitur.

¶ **Schedula unionis eiusdem.**

Nos oratores supradicti dicto nomine unimus nos uobis iuxta tenorem capituli prædicti. Super quibus omnibus & singulis promotores concilij perierunt instrumentum & instrumenta, & de post fuit cantatum, Te deum laudamus. Quo finito, reuerendissimus pater dominus Ioannes episcopus Ostiensis cardinalis ad præsidendum iuit, & officium sessionis solum solenniter incipiebatur. Et lectis letanij  
alijq;